









Bucsay 712

# STATUA,

In

*Perennem Mnemosynen*

VIRORUM, ex HUNGARIA

per diversas Passim mundi plagas,

pro

NOMINE CHRISTI,

&

VERITATE EVANGELII

Cum suis suspirando exultantium, &

intra LXXIII ad LXXXVI

inclusive,

Sedecimi æræ Christianæ seculi,

vitam miseram & tristem cum placida

beataque morte commutantium, cum

annexa Parænetica Paraclesi,

*erecta,*

Operâ

H. T. R. H. P. C. L.

---

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS GEORGII, 1687.





Ad Lectorem.

**N**on bonus est, Lector, sic dicis, carminis  
ordo,  
At melior nostro non fuit arbitrio.  
Tautologus nimium, sed non obscurus ubiq;  
Confusus; sic fors scribere consuluit.  
Cunctos nec statuâ statuit, quos exsilio mors  
Eripuit; memorat, quos scit obisse diem.  
Atra suos quânam mors exeffectuet ausus  
Hic patet, illa suum libera calcât iter.  
Omnia confundit; placitâ methodoq; trucidat,  
Nil annos curat, despicit omne decus.  
Est par cruda coco, sine qui discrimine pullos  
Et vetulas matres dissecat, igne coquit;  
At pia mors, et simagnum chaos esse putetur,  
Est medium, quò nos imus ad astra Poli!  
Nil obstat, placitâ methodo si carmina currunt  
Nostra, medela bonis sunt tamen ista viris!

H. T. R. H. P. C. L.

LIPSIÆ

Licetis JOHANNIS GEORGII 1687







Ille gradum, Peregrine, vide, quæ fortè cupivit  
Jam tua mens magno dudum fervore videre,  
Nempe VIROS, Aris avulsos, Pannonis oris  
Pulsos, exilio sacros, pro Nomine Christi,  
Non sine Conjugibus, non absq; propagine multa,  
Quorum non fuerat perversa protervia mundi  
Digna, cui summam Mysteria sacra JEHOVA

Stultitiam redolent, Pastores vile *na' Sappa*  
Fabula sunt, veræ curatio nulla salutis.

Hosce VIROS, inquam, nimum dilexit amore

JESUS, pro Patria terrestri, donat Olympo,

Et pro pauperie cœlesti firmate vestit,

Angelico satiat victu, tutatur ab omni

Hoste, perennanti reddit sub pace quietos,

Cantantes: æterna DEO sit gloria! virtus!

Illorum celebri ritu mandata sepulchris

Corpora sunt, veluti tibi metra loquentia monstrant:

Ut Superintendens JOACHIMUS morte KALINKA

Occidit, egelidum sepelit Zitavia corpus!

Fragopolim linquens Doctor POMARIUS exsul

Lubecæ Superintendentis munere functus,

Vitâ defunctus placidè defertur in ædem,

Et foveæ multis lacrymis imponitur altæ!

Saltzensi recubat Doctor SEELMANNUS in agro!

It tumuli Bregæ DANIEL REMENIUS umbras,

Et rediens Patriam, Veterisoliensia rura,

Nomine DOROTHEÆ conjux, ibi mortua fletur!

Hallæ SAXONICÆ JANNES SINAPIUS atrâ

Peste cadunt charâ cum conjuge, prole bis unâ!

Lesna Polonorum spectat, dum GRAFFIUS, UXOR

Illius & soboles tenui conduntur arenâ!

ESAIAS PILARIK Levini dormit in æde,

Natu cujus humat majorem Bressa SUSANNAM!

ECKARDUM clarum titulo mitrâve Magistrum

Suscipit extinctum Breslensis viscere tellus!

DAVIDIS TITII pia fata Wolavvia luget,

Illius UXORI lugubres præbet honores!



URBANOVICIUM terræ Wismariæ mandat!  
 JOHANNI propriam cryptam Rentzelius offert  
 HADIKIO, pius Hamburgensi Civis in Urbe!  
 Bresla Virum SCHALAK; *σκελετον* Thoronæ MARITÆ  
 Wintzingum NATUM, tumuli comitantur ad umbras!  
 Grata VALENTINUM PERAK, cum CONJUGE, SOCRU,  
 Prussia contumulat: tumulatur FILIA Breslæ!  
 Lipsia STRAKOCII, JANNIS LANIQVE migrantum  
 Ad plures, dignatur honore cadavera sveto;  
 Est obita funus FONTANI morte necato  
 Strela parans; Gedani SCHWARTZ & WEISS busta capeffant,  
 Sarcophago Proles infertur WEISSIA Bregæ!  
 NEFFIUS, exhalans animam, sine sanguine corpus  
 Gorlicii lectis Patronis linquit humandum!  
 ZEITZA refert GALLI lethatum barride terræ!  
 Ipse sepulchrali Thoronæ CUNCIUS urnâ  
 Clauditur; HALECIO tumbam bona Bresla ministrat,  
 Hæc simul UTLANDI cineres scrobis aggere servat!  
 TSCHECHIUS in Ravicensi demortuus artus  
 Ponit agro, Breslæ defunctâ prole relictâ!  
 ALBINI iustis Kilonia corpus honorat!  
 FABRICIUM Dresdæ velat vespillo saburrâ!  
 Pollinctor GREBIUM Breslæ pollinxit utrumque!  
 Nobilis Hungariæ, natus de Patre Georgio,  
 Neufolii Pastore, Salatnæ motus ob aris,  
 Slesidos Exsul agros intrat discrimina Vitæ  
 Multa videt, Pastor tandem, sed ritè vocatus,  
 In pago Malirs, paret qui Principis Olsnæ  
 Imperio, faciens aliquot grave munus in Annos,  
 Incidit in morbum Scorbuti, nulla mederi  
 Cui medicina quirit, medium sic fortè per annum  
 Affixus lecto, solvi cupit esse beato  
 Cum Christo, gaudere bonis, quæ nullius auris  
 Audiit, aut oculus vidit, quis pectore sensit!  
 Audit vota Deus, quartâ bis vesperis horâ  
 Aprilis quinx vicinæ lucis, in Anno  
 M. D. C. XIVC præfente Maritâ,

Pro-



Progenie binâ, placidâ cum morte caducam  
 Commutat vitam, terrâ de scandit Olympum  
 JEREMIAS LEPIN, placuit cui sobria vita!  
 JOHANNES KÆMMEL Reverendus & arte Magister,  
 Exsilio Schmolnicensi damnatus ab arâ,  
 A Nato, Nata Breslæ defletus humatur!  
 Gorlicio distans aliquot modo jugera Pagus  
 HOFFSTETERI Mystæ consecrat viscera terræ!  
 Lesnæ, quæ Regis servat Diploma Poloni,  
 Fit morti Medicus Doctor SECURIUS esca!  
 Non adeò Strelæ procul à confinibus extat  
 Pagus, ubi DANIEL PERLICIUS ossa sepultus!  
 Mysta VALENTINUS SUTORIUS, arte Magister,  
 Pofonio motus Patriæ delatus ad ulnas  
 Romhildæ, Socrui postremos præstat honores!  
 REISER Pofonio, cognomine WINDELICORUM  
 Augustam Patriam petit Exsul justa Maritæ  
 Hic parat, Hamburgum post accersitus adivit,  
 Illicò fit sacrâ Jacobi DOCTOR in æde,  
 Vir Zelo plenus, deest cui *παρρησία* nulla,  
 At Frater nimium dilecti Fratris acerbum  
 Jam gemit occasum, quatterna Propago Parentis!  
 PORSCH quatuor partus Bregæ Socerumve GERHARDUM  
 Affinemq; suam tumuli supponit arenæ!  
 Neufaltzæ Stephanus Pilarik viduatur ocellis  
 Conjugis, injectæ Templi sub fornice cryptæ!  
 Extinctæ PAULUS GALLI truce peste Maritæ,  
 Occulit in Pago Dresdam prope viscera glebis,  
 Ipse deinde docens Dresdenses Sacra Bohemos  
 Verba, piè moritur, viduâ post fata relictâ!  
 Dilectas SCHENI, SCHNAZINGHERIque Maritas  
 Terræ cum variâ mandat Wschovia prole!  
 Hic Natam pariter ZAREVUTZIUS indit arenæ!  
 Proximus est Hallæ Pagus, Neckelius illic  
 Pastor, Cremnitium, sacrâ quem flevit ab arâ  
 Avulsum, funus Confortis lugubre mœret!  
 BURIOUS infantes, cassos Baptismate binos;





Hunc Bregæ; Breslæ sed eum telluræ recondit!  
 Conjux LAURERI mundando lintea Grima,  
 Labitur in flumen, vitâ spoliatur ab unda!  
 OCHERNIAL sobolem Bregæ cum Coniuge binam,  
 Uxorem RUDINSKY ferunt telluris in ulnas!  
 ZASKALITZKY sepulturæ sua pignora tradit,  
 Filiolam Bregæ, claræ Natumve Budorgi!  
 LAZARIDES prolem Cruciburgi deflet humatam!  
 Affinem charam Lucii socrumve fidelem,  
 Sora tegit sabulo, nescit queis parcere Parca!  
 BUDÆUS ternâ decorat monumenta cavata  
 Progenie Bregæ; Breslæ RITZMANNUS at unâ!  
 GEORGIUS ille CHYLEK Weissensee Lechicus orbis  
 Qvod tenet, erudiens divino dogmate Pastor!  
 Uxorem sepelit, patriis quam duxerat ulnis;  
 Cujus salvifico decorat sermone sepulchrum  
 Vir Michael Lieffmannus honore Magister ab aris  
 Hungaricis Exsul, dum Birnbaumense doceret  
 Templum sacra DEI præcepta, deinde vocatus  
 Budissam, fit ibi Pastor primarius, ante  
 Qui fuerat Superintendens in Pannonis Urbe  
 Quæ modò communi Cassovia dicitur ore.  
 CHLADNY super binâ, sublatâ funere, prole  
 Gorlicii ducit lugubri syndone lessum,  
 Lacrymat Hausvvaldæ resonat dum nenia Natam,  
 Vitam, cum placidâ commutat morte propago  
 Weissi, Langffeldi, Breslæ quam condit humator!  
 Sandapilam binæ soboli, quam deflet Adami,  
 Sandapilator humat, ceu Wratislavia cedit!  
 Hic & JEREMIAS PILARICK duo pignora luget!  
 Lesna Polonorum, cantare suave peritum,  
 QUETONI Natum tumuli comitatur ad umbras!  
 Affinem BRESTOVINI dat Olavia terræ,  
 Cui Schmidt cognomen, Dominorum Valle renato!  
 M. D. C. LXIX dum septima fastis  
 Lux est Octobris, tribuit cui Cynthia nomen,  
 Filius è gremio Matris, quæ nomine gaudet  
 DOROTHEÆ, trinos recreantis prole Maritos

Bis



Bis modò septenâ, præiit quæ morte Parenti,  
Nascitur, illius Pater HIOB TRUSIUS, illo  
Tempore verba VETUS SOLIUM divina docebat,  
Hic infans, lotus Baptismate, nomen adeptus  
Est SAMUELIS, iens quartum vix æger in Annum,  
Cogitur è Patriâ solò pro nomine Christi  
Ire, suis minimè tamen absq; Parentibus Exsul,  
Post aptus Musis, Bregæ se dedicat illis,  
Discit lecturam, charisve Parentibus inde  
Cessuris Breslam, discedit & exulat idem;  
Hic puer, Elisabethani pars certa Lycei,  
A quinta classem conscendit ad usque secunda  
Cujus Weiss, Major, formabant arte juventam,  
Lecta Patris soboles! Claris charusve Magistris  
Discipulus! doctis gratissima victima Musis!  
Ter quinos vitæ nondum compleverat Annos,  
Incidit in morbum subitò, febris è malignâ  
Tres durante dies, hora sub vespere nonâ,  
M. D. C. XVII à tempore Christi,  
Augusti Mensis Neubarti lege meantis,  
Nempe die Veneris, Christus quo mortuus olim,  
(Bartholomæus eum Festo præcessit honore)  
Orans & cantans, inter suspiria Patrum,  
Exspirat placidè, transit de classe secunda  
In primam Coeli, Gabriele peritior uno  
Fratre, suis studiis cuius cibatur Haunia mentem,  
(Cui fuit Elisabeth Genitrix, quam nobile germen  
Zachariæ Gronleitneri suscepit ab Anna,  
Cujus erat Genitor Michael Stimmelius, illo  
Tempore sub verbi Dominorum Valle Ministri.  
Zacharias Gronleitner abit miser Exsul ab Austro  
Neufolium, fit ibi post Regis in ære liquando  
Servus, & officium peragit fidissimus usq;  
Dum placidè moritur tumulatâ conjugè primam.)  
Quò feror? ad pueri postremum vertor agona  
Id mirum Fastis Neobarthi debet ab ortu  
Cras fulgere dies Samuelis, credere planè  
Is renuit, sed eam, moritur quâ, post modo cogit

Nos





Nos celebrare diem, solito pro more gementem  
Matrem deposcit Strenam, concedimus omnes!  
Augusti, quatter septenâ luce, recepto  
More datur, curat quod Barbara Sancta, sepulchro!  
Quid loquar, illius privatus in arte Latina  
Discipulus, Daniel Breslæ de sanguine Goetzi  
Cretus, quem Mayer Dietricus, Vitricus æquus,  
Thoronam mittit, linguam ferat inde Polonam.  
At dysenteriâ, gignit quæ tormina ventri,  
Exstinctus, pariterve die tumulatur eâdem,  
Quâ Samuel nomen tribuit cui Luna diei.  
Pastoris Templi, Triados quod nomine Sanctæ  
Donatum Christi patientis & Exfulis ante,  
Docta Viri Joachim Wüsthube lingua parentat  
Hungariæ Proli, curto post tempore Pastor  
Febre cadit, populo nimium plorante, malignâ,  
Elisabethano corpus requiescit in horto!  
Usque Viros Mystas, peregrè quos liberat atra  
Atropos Exfilio, vel eorum sanguine cretos  
Dixi, jam dicam reduces quos Patria mœsta  
Fronte capit, rigido mortis sed acinace cœsis  
Illacrymat, pariter Rectores pubis, & illos  
Qui sufferre volunt solo pro Nomine Christi  
Exfilii sortem, quorum facit exera tellus  
Lessum pignoribus vitæ, fociisq; , caduca.  
Post aliquot Superintendens TARNOCIUS Annos,  
Nomine MARTINI, rediens ad Patria rura  
Exful obit, Turocensis Blatnica cadaver  
Tradit humo, calido lacrymarum fonte rigatum!  
Ut Superintendens moritur Cassovia luget,  
HEUTSCHUIS, infertur consueto more sepulchro.  
GEORGIUS in Patriam rediens ZEMBERUS, humatâ  
Bresliaco Conforte solo, Pastoris ad aras  
Smolnicii partes peragens, sepelitur ibidem.  
JOHANNES, Breslæ puero JOHANNNE sepulto,  
SEXTIUS, in Patria moritur cum Coniuge, Nata;  
Natam Neufolium tumulat, Carpona parentes!

MILO-





MILOCHOVINUS obit rediens ad pristina Brisnam  
 Pulpita, post unum Coniux perit illius Annum!  
 FISCHER, quem novit Cassovia, Coniuge missâ  
 Thoronæ vivâ, repetens confiniâ terrâ,  
 Quâ Gepidæ vivunt, animum de corpore mittit!  
 Carpathicos properans montes invisere, vitam  
 VALERIANUS obit, tumulatâ Coniuge Breslæ!  
 Scepusium veniens charâ cum BROSA Maritâ  
 Morte perit, Nato cavat urnam Sefidos ora.  
 LADIVER, servus Domini sacer, ille Professor  
 Epperiensis, habens curamque fidemque Lycei,  
 Exsilio raptus variâ regione vagatus  
 Inde vocatus adest juvenilia pectora format,  
 Mox charæ nimium tristatur morte Maritæ,  
 Quæ tres improlis sepeliverat ante Maritos  
 Davidem Lani, Superintendentis agentem  
 Officium; Czernak, dederat cui Neufolis aures  
 Pastori; tandem Restjari jure peritum,  
 Eheu! Quem Coniux, viduam quam liquerat Höher  
 Matthias Pastor, misit lacrymosa sub umbras!  
 MARTINI NOVAK ac Comparis illius ossa,  
 Et RAABI Patrium bene cœmiterion abdit.  
 ISRAEL ORLICH Affinis nomine JUDITH  
 Virginis & parvi Nati pia funera curat.  
 GOSNOVICERUM Lanii Ianiena trucidat  
 In Stoos oppidulo, Pastorem propter iniqua  
 Facta redarguti sacræ fermone cathedræ.  
 Versifici PAULO MICHAELIS, ab arte Magistro  
 Civis it exequias Erfurdi, more decente.  
 Johannes Meyer, Bojanoviense Lyceum,  
 Con-Rector formans, obitus memor usque Puellæ,  
 Letho sublatis Davidis præcoce Nati.  
 Brisnâ Rectoris libitina Simonidis unum,  
 Fœtum Derdelii Breslæ trux surripit unum.  
 Bornagi Natus tyro Sartoris in arte,  
 Hic tumulo, mundi postremâ luce resurget.  
 Filius Eckardi jacet hic quoque Pellio corpus.

B

Nec





Nec redit Hungariam GOBII pes, Leucoris alma  
 Hunc inhumat; Collega Scholæ PASTOCHIUS Hallæ,  
 JOHANNES Zeitzæ LONGOLIUS, ille Phonscus  
 Intumulata cubant defunctæ molliter ossa.  
 ESAIAS PILARIK, Brandenburgense Lycæum  
 Linqvit Rector, adit cœlestia Regna Magister.  
 FIDICINIS, fidibus cantare peritus & ore,  
 Traditus exfilio, veluti Leutschovia vidit,  
 Accurrit Breslam vitæ cum Compare, prole,  
 Post rediens, dictum Sancti de nomine Georgi  
 Introit Oppidulum, teneram præcepta juventam  
 Sacra docet, vitam donec spiramine ducit.  
 DEMOSCH, Cremnitio Cantor maris interit undâ  
 Bregæ cujus humat, tristis tria pignora Conjux.  
 Ortel, Cremnitio cedens, flens mœsta feretra  
 Uxoris Breslæ, Natæ sed polluit Olsnæ.  
 Matthias Drexler, Carponâ Civis & Exsul  
 In Patriam mediatur iter, simul introit illam,  
 Post redit & Conjux Madeburgo lecta, sed eheu!  
 Occumbit Dîlnæ propè Schemnicensia Tempe.  
 MELCHIOR, ille suo Genitore Rotaride, Mystâ  
 Vallengi natus, Sartoris in arte peritus,  
 Dum gemit exfilium, cæsus vehemente phreneſi,  
 Edurans vitæ duo bis modò lustra, relinquit  
 Christiano pariter Martino, fratribus ossa  
 Danda solo, dignum Spreana Colonia terræ  
 Donat eis fundum, pompâ fit funus honestâ.  
 Carponâ Tubicem Synai peste necatæ  
 Occulit Uxoris Dreidensi pulvere costas.  
 Dicere, quot Freiberga metallica pectora peste  
 Cæsa, solo dederit, ne sim prolixus omittam,  
 Et quos ad miseras traxit violenta triremes  
 Vis, ibi lethali delevit frigore multos,  
 Hæc alii memorant multis inferta libellis!  
 Quot Patriâ motos, sancto pro dogmate Christi  
 Exfilio sacros, tellus exotica cepit  
 Hospitio populi Pastores, atque Scholarum

Rectores,



Rectores, cuperem curto comprehendere versu;

At linquam, faciet prolixè Burius istud:

Ut puto, vix centum quadragintaque virorum

[Exceptis illis, quos Transylvania cepit]

Egressi Patriam, reliqui tenuere Penates

Hungaricos, passim per agros per tesqua vagantes!

Hæc est conditio, status hic est Gentis, avitis  
Sedibus extorris, sacro pro dogmate Christi!

Estè bonis animis, patientes Nomine Christi!  
Patria quæis fuerat, tellus exotica, juxta

Id verbum: Patriam censemus ubique locatam,

Est ubi non adeò malè, sed bene dogmate vivit

CHRISTUS ubi puro, promptorum dextra Datorum

Est ubi grata, viri faciles, nec mente superbi,

Josephi tangunt nimium quos damna pudici,

Viva salutifero CHRISTI de corpore membra,

Pectore præsentis fratris miserentur egeni.

Estè bonis animis, liquistis tecta, Parentes,

Agros, Uxores, sobolem cum fratre, sororem

Invenietis adhuc alibi, qui Patris ad instar

Aut Matris, Fratris, vos complectentur amore,

Hospitio capient eleemosynisque juvabunt,

Est quæis vera fides simul atque domestica curæ.

Ex oriente Magi veniunt ad culmina Bethlem,

Inveniunt puerum, purâ de virgine natum,

Solem justitiæ, Jacobi lumine Stellam,

JESUM, cui lectum præsepia dura ministrat,

Huicce ferunt genibus flexis tria munera, Myrrham,

Aurum, Thus, habeat, superet quò sortis acerbæ

Exsilium, vobis quisnam Patronus adesset

Eminus est promptus, nescitis, tempore nullo

Vos spes fisa DEO vanis deludet avenis.

Nîl vos Theromedon, nîl vos scævissimus Atræus,

Nîl stolidus Nabal debent terrere, nec illos

Quid curate, nihil qui dant sine murmure, probris.

Aut, DATE PAUPERIBUS, repetunt clamore celêusma,

Ipsi nîl dantes, & avaro corde superbi,



Alloquio dedignantur, cœu putre *καθαίρω;*  
Quique fores claudunt, negitant vel adesse domi se.  
Este pati prompti, patientia sancta JEHOVAM,  
Sive micat Phœbus, seu jam sint nubila, laudet.  
Sic agitur terris, segetes Zizania crescunt  
Inter triticeas, bona sunt immixta malignis,  
Ambitiosa nigro tradetur hypocrisis Orco.  
Cor cuius durum nunquam miserescet egeni,  
Nec DEUS ærumnis pressum miserabitur unquam.  
Id post quisque metet, quod in ipso tempore sevit.  
Qui non hic aliquâ linguam refrigerat undæ  
Arentem guttâ, nec ibi potabitur haustu  
Angeliici vini, mensæ conviva beatæ,  
Cum Jacob, Isaac, Abram, super axe Polorum  
Non erit, æternos ibit torquendus in ignes!  
Ferte crucem fortes, crux castigatio nostræ  
Utilis est carnî, malè ne vivamus in orbe.  
Si non sufficiunt alimenta, caretis amictu,  
XXXIIIIX. pervolvite Psalmum  
Davidis, vobis solatia talia dantis:  
Ipse puer, juvenis fueram, me curva senectâ  
Jam premit, à DÓMINO desertum tempore iustum  
Non vidi, iusti dapibus nec semen egere.  
Rara tamen, diceo: nigroque simillima cygno  
Est avis in terris, hilaris facilisque Patronus.  
Si tibi Patronos plures fortuna pararet,  
Mundi delicias ageres, sic forte perires.  
Sit tibi sufficiens clementis gratia CHRISTI.  
Omnia CHRISTUS habet, nobis est omnia CHRISTUS,  
Quò sine non crinis capitis de vertice vestri  
Quis cadit in terram vestros habet usque capillos  
In numero, minimus passer nec ab aère siccam  
Devolat in ripam; sic vos ratione valentes,  
Atque suos servos desertos, credite, nunquam  
Linquet, ab illius nutu pendetis ad unum.  
Ergo mali quicquam vobis non accidet unquam.  
Si quid erit, gratum vobis id vertet in usum  
Vestrum,



Vestrum, lætitiæ pectus lætabitur, ore  
Usque DEO magnas cantantes carmine grates  
Dicetis: Nomen quam sit mirabile toto  
Semper in orbe tuum DEUS Optime, summe Monarcha  
Exsulibus præsens miseris est CHRISTUS asylum,  
Illius fortis simul ac Ecclesia turris.  
Persequitur CHRISTUS nullos, Ecclesia nullis  
Vera fidem cogit torturis, carcere, fraude,  
Fune, rogo, ponto, nugis mutare, reducit  
Ad CHRISTUM, solâ divini Numinis arte  
Errantes, hominis pariter nequit usque voluntas  
Cogi, cultus enim spontaneus esse JEHOVÆ  
Assolet acceptus, nec quis servire coactus  
Poscitur, ille fidem potis occultare priorem.  
Nîl obstat, quod ait DOMINUS: Compelle, Minister,  
Intrent, id minimè capias, quasi cogere, mandat  
CHRISTUS carceribus, resti flammisque rogorum,  
Aut aliâ specie torturæ, cogere verbi  
At sacri virtute jubet, violentia longos  
Annos non durat, solis animabus Olympi  
Imperitat Rector, nec cui jus porrigit istud  
Nemo Prophetarum, nec Apostolus ullus atroci  
Compulsu statuere pii pomœria cœtus.  
At dices: Hominum si brachia tanta fuissent  
CHRISTO, fecisset simili ratione popellos  
Ipse coëgisset, proprio clausisset ovili.  
Sed peccare cave, CHRISTUM disjungere noli,  
Quem licet omnipotens HODIE, dum secula nulla  
Adfuerant, genuit PATER, & post tempore pleno  
Est enixa *ἡ ἀειπαρθένος* pia virgo Maria.  
At duo sunt minimè CHRISTI, nos credimus unum,  
Qui DEUS est & HOMO, Triados persona, secunda.  
In Cœlo, terris operatur Filius usque  
Cum Patre, qui mundo miracula plurima patrat,  
Cui simul Angelicæ turbæ millena ministrant  
Millia, sed medio violento noluit uti.  
Sufficiant nobis ad nostram sacra salutem





Verba DEI, servus CHRISTI quæ prædicat orbi.

Optimus Exsulibus miseris DEUS esto Patronus,  
Ille cibatur corvos, scit sustentare fideles.  
Mille modis fugiens Jesabelis vincula, ferrum,  
Elias, latam per corvum suscipit escam  
Crudorum Daniel projectus in antra leonum,  
Quas vates Habacuc defert messoribus ollas,  
Anticipat, comedit, sic disponente JEHOVA.  
Este DEO fidi, vobis dabit ipse Patronos,  
Ultima nec cunctos Obadiah abstulit hora.  
Sunt Meccenates, propriis de rebus honorem  
Qui cupiunt deferre piâ cum mente JEHOVÆ,  
At dices: Patriâ sepeliri, gestio terrâ,  
Recte, si fieri posset, possesque redire.  
Si Patriæ, variis per tot vibicibus annos  
Percussæ, cupidus pacatus ramus olivæ  
Floreret, certè jam refloresceret idem,  
Patria si verè tantum resipisceret, iram  
Justi placaret lacrymis precibusque JEHOVÆ;  
Illius at summo cervix subjecta parenti  
Abnuit esse, trucis mavult Mavortis ab armis  
Tota perire, viam recto quam tramite legis  
Ire, probè maledicentem compescere linguam!  
Ergo memor mortis vivas, peregrinus & Exsul:  
Fortè mori poteris, tellus at ubique JEHOVÆ  
Est, tot & hinc Cœlum patet & non ampliùs illinc  
Passus, Nicodemi, Joseph, Tobiaque nepotes  
Vivunt, defunctos inopes sepelire parati.

Este bonis animis, majori CHRISTUS amanti  
Est vobis, Frater quam vel Pater atque Genitrix,  
Aut alius quisquam vestrum de sanguine cretus.  
Vos modo mortales vestri genuere Parentes,  
At vos æternâ CHRISTUS de morte redemit!

Este viri, si vos per dura secutio preslat,  
Non estis soli, focii sunt sortis amaræ.  
Nil sub sole novi, solæ mutantur in actu  
Personæ, tantum Comœdia luditur una

Ac



Ac eadem, crebris olim repetita sub annis,  
Sic veteres Patres, vates & Apostolus omnis,  
Gens Evangelicæ fidei, pro nomine sancto  
MESSIÆ CHRISTI, miseræ discrimina vitæ  
Plurima sunt passi, ceu Biblia sacra fatentur.  
Ethnica semper erat Christianis scribere sueta  
Penna dicam, certam nec eos non dicere causam,  
Si Mars, flamma, fames, mors grassabantur in orbe,  
Aut alii casus, ideo mox horrida pœna  
Infantes fuerat iusto sine jure secuta;  
Sic Evangelici, pars quos adversa salutat  
Jam Lutheranos, sanctum quod dogma Lutheri,  
Fontibus ex sacris haustum probitate sequantur,  
Pacis amatores, stulto coguntur in orbe  
Cuncti causa mali fieri, fierique rebelles  
Propter id exsilio pulsantur, dantur ad ignes  
Et varium torturarum genus, omnia cernit  
Attamen ipse DEUS pœnas infontibus, æquo  
Jure nec illatas, ultor justissimus actu  
Vindicat, & populi varias sparguntur in oras,  
Roma CLXX distans Corintho  
Leucas, exsilio cunctos condemnat amari  
Judæos, Aquilam Priscillâ Coniuge cinctum  
Claudius Induperator, & is pro nomine CHRISTI  
Pulsus, adit tandem gaudenti corde Corinthum.  
Hic habitat, CHRISTUM profitetur, vivit in illo  
Panc suæ fidei, nimium benedicatur omni  
In re cœlesti, terrèstri, Paulus, Apollo  
Conversantur ei, cedentes inde profecti  
Sunt Ephesum, passi discrimina multa viarum,  
Nâl tamen hæc curant, lætantur nomine CHRISTI,  
Est domus illorum, Divinâ plenâ salute;  
Æternant utriusque pium sacra Biblia nomen.  
Hæc sunt speculum vobis fideique lucerna.  
In specula stantes vigilate, notentur in ipso  
Nomina vestra libro vitæ sine fine perennis!  
Exsiliū nulli peccandi præbeat ansam,

Nec



Nec vitium celet, sit sanctum, criminis expers,  
Est exercitium, cribrum, cos Lydia, cordi  
Tentato praesens pretiosum pharmacum, omne  
Namque malum summi divina Prona Tonantis,  
Vertet in omne bonum, pietatis amantibus olim.  
Si non exilium toleratis furis ad instar,  
Mœchi, latronis, fuci scelerumque cohorte  
Obsessi, solo verum pro dogmate CHRISTI,  
Exultate, bonum læti celebrate JEHOVAM.  
Est DEO fidi, mundo lux, este reales  
Pastores populis, vestigia vestra virili  
Mente secuturis, simili si forte prementur.  
At fortasse parum recreantur pectora metris  
Vestra meis, plenum vivo solamine Fontem  
Addo caput nostrum, cuius nos corpus habemur,  
Nimirum JESUM CHRISTUM DOMINUMQUE DEUMQUE,  
Is simul Exsul erat, pariter nos addecet esse  
Illius comites, ipso cum vivere Cœlis.  
Vos DEUS elegit mundi de fece maligni,  
Ut sanctam recto curratis tramite legem.  
Quare persequitur mundus vos carcere, ferro,  
Igne, rotâ, ponto, sacris avellit ab aris,  
Exsilio damnat, patientia singula vincit!  
Perque secutores inferni poena perennis  
Torquebit flentes, stridentes dentibus ah! vae!  
In caput ipsorum recident, quæ frivola jactant,  
Vestra premunt valde non æquâ nomina forte;  
Ardentes DOMINUS prunas disperget in ipsos,  
Mendaces igni disperdet vindice linguas.  
In foveas turbabit agens, tristesque lacunas,  
E quibus haud unquam sursum consurgere quibunt.  
Undis obruitur Pharao, qui mergit in undas,  
Sancto Jacobi pueros de stemmate natos.  
Antiochus, faciens Judæis pabula, porcos,  
Mandere nolentes cruciatibus undique tortos  
Exanimat, foedis vivus fit vermibus esca!  
Crudus Achab fuerat, Jesabel crudelior illo;

Quorum





Quorum sanguis erat canibus gratissima præda.  
Constantinopolis gemit, ut Chrysoſtomus, ille  
Vir ſanctus Graji præclarus Episcopus orbis,  
Cæſaris ex aula cupiens everrere mores,  
Gentiles, idola, levis contagia vitæ,  
It bis in exſilium, Nemefis quod vindicat æquo  
Jure, novam Romam terræ concuſſio terret,  
Grando ferit fruges, quarti poſt tempore menſis  
Arcadii conjux Eudoxia ſæva necatur.  
Hoc teſtantur idem ſapientis dicta Magiſtri:  
Fortibus haud dubie cruciatio fortior inſtat,  
Portantesque potenter erunt tormenta potentes!

Parcite turba DEI, dicam, quod vellicat aures  
Sæpè pias, annon ipſi legiſtis ad ignem  
Exſilii veſtri ſarmenta, fatentor aperte,  
Ite nec inficias, nemo ſine crimine vivit.  
Turpia fortè malæ vixiſtis tempora vitæ,  
Et populis aliis tenebroſa lucerna fuiſtis.  
Officiis offeciſtis plus fraude malignâ,  
Quam veſtris operis, veſtrisque laboribus unquam.  
Feciſtis fructus, auditorumque ſaluti  
Non bene monſtraviſtis iter, peccata probaſtis,  
Si ſic egiſtis, preſſate ſtipendia digna  
Pro ſclerum factis, numero reſipiſcere verum  
Exercete, novos fidei producite fructus.  
Tum DEUS iratis faciet miteſcere pœnas,  
Vobis concedet melioris ſecula ſortis.

Vos orare decet, Patronis fauſta precari  
A DOMINO, Statibus ſucceſſus undique claros,  
In laudem DOMINI vergentes uſibus auctos  
Humanis, paci tentoria læta ſtruentes,  
Exorare DEUM, veſtro maledictio nulla  
Ore cadat, precibus diros includere veſtris  
Hoſtes, ut convertat eos divina poteſtas,  
Si modò ſint convertibiles, ſin nulla redundet  
Spes vitæ melioris, eant ubi pœna parata,  
Sæva vel illorum citiùs conamina frenet.

C

Pax





Pax tristes CHRISTI populos tranquilla serenet!  
An precibus, dices, vis tanta? repono modestè,  
Justi multa potest penetrans oratio Cœlum,  
Ut scriptura docet, divinâ Numinis Aurâ  
Adspirata, DEI non despicit, adspicit illam  
Gratia, poscenti quicquid videt esse, futurum  
Utile, perpetuæ minimè nocuumque salutis,  
Offert, dat clemens ideò DEUS Optimus infit:  
In tua ne cessâ pressus me vota vocare,  
Ipse gravi duræ fortis te mole levabo,  
Tu me magnificum toto celebrabis in orbe.

Vos præbete Viros, fidei, quæ solaprehendit  
Sufficiens JESU CHRISTI λύτρον, applicat illud  
Credenti, genetrix operum genuina bonorum,  
Quâ sine nemo placere DEO potis, omne probatur  
Esse scelus, quicquid minimè promanat ab illa,  
Illâ, non meritis nostris intramus Olympum.  
Inquio, naufragium fidei vitate nocivum,  
Mundi splendorem, titulos, præbenda, metalla,  
Plaustraque promissis variis; onerata cavete.  
Sunt modo decipulæ, fraudes, artesque Pelasgæ,  
Et casses, animas captas ad scœva trahentes  
Tartara, næ mundi totius schema peribit,  
In cinem ibit, quicquid jam possidet orbis!  
Hinc igitur sursum castissima corda levate,  
Usque dies veniet, quo conscendetis Olympum.  
Ah dolet id cordi, me pars adversa vocare  
Assolet Hæreticum cum non ELEGERIT almæ  
Mens mea Religionis opus, cultumque JEHOVÆ  
Non finxit, sed eum sacris de fontibus hausit,  
Quem primæva Patrum tenuit generatio, sancti  
Quem vates & Apostolicæ docuere loquelæ,  
Et sacra comprehendunt compactis Biblia libris.  
Hunc ego servo, sequor, cogor tamen esse pedule,  
Quisquilæ, Patriâ motus velut erro vagari!  
Id tibi dedoleat, leves invertite cothurnos,  
Dicas Hæreticum qui non dependet ab ore,  
CHRISTI, Scripturæ Sacræ mysteria fictis

Voci-



Vocibus infectatur, amat confingere mille  
Articulos fidei, non-scripti dogmate verbi  
Suffixos, rigidis cruciatibus, ense propagat.  
Non dicam, Majestatem quo crimine lædat  
Divinam, quando, quod ei placet usque metallum  
Aut lignum debet fieri DEUS, inde vocandus  
In nova vota genu curvo manibusque levatis.  
Addo, suis tendit meritis ascendere Cœlum,  
Nec tamen est certus veræ de parte salutis.  
Scommata nil cures, prædixit talia CHRISTUS,  
Quo non est major, neque sanctior attamen ille  
Est Samaritanus, comedo, bibo, Dæmonis hospes,  
Seductor populi, cui dira rebellio curæ,  
Blasphemus, magnus sceleratæ gentis amicus,  
Et quæ plura legis. patiens tamen omnia suffert.  
Sis æquè patiens cumulos bonitate malorum  
Affiduis pensa, cernit DEUS omnia vindex.  
In vestro gaudete sinu si corpora, colla  
Vestra ferit ferrum, si templa, Lycea juventæ  
Vis violenta rapit, CHRISTI ne nomen in illis  
Salvificum resonet, specie sub utraque popellus.  
Quem bene pœniteat scelerum, pietasque coronet  
Accipiat COENAM DOMINI ne læta juventus  
Discat nosse DEUM, mentem virtutibus ornet,  
Carmenibus sanctam Triadem collaudet amœnis.  
Hæc curate parum, flocci vel pendite, terram  
Nam redolent, vobis, quæ maxima, vera, superna,  
Illa manent intacta, furor nihil hosticus illis  
Vulneris infliget, stabit cœleste columnis  
Perpetuis Regnum, cœlorum gaudia vestris  
Mentibus eripiet nullus, gaudete beati!

State spei talis, alibi quoque Tempia, Lycæa  
Dantur, ibi dabitur, sic procurante JEHOVA,  
Munus obire sacrum, teneram formare juventam  
Privatim, iustoque modo vel ducere vitam.  
At dices: fari peregrinam nescio linguam,  
Slavus sum, Slavis servire peritus, & illis,  
Quos simul à Slavis dialectus separat ipsa.

Ipsæ



Ipse quidem rectè didici puerilibus annis  
Hungaricam linguam, tamen haud intelligit illam  
Teuto, proinde manebo domi, vestigia fratrum  
Sectabor, privatus agam, sub pectore CHRISTUM  
Gestabo, Salvator erit meus ille, paratos  
Quamlibet ante Deos procumbam poplite flexo,  
At non id facias, tecum perpende, duobus  
Nemo potest Dominis servire fideliter; almus  
Te DEUS integrum cum corpore mente creavit,  
Fas igitur totum dedas te firmiter illi:  
Laudat nemo virum, cuius cor dissonat ori:  
Usque DEUM reverere, tuum qui corpus & ipsam  
Mentem tartareas unà detrudet in undas.  
Invenies aliquem porrò, cui cognita fiet  
Et tua lingua satis, quod erit tibi dulce levamen.  
Promptus eris fortassè loqui sermone Latino,  
Aut Græco, magnum quod in usum cedere posset.  
Quo tecuque pedes, nostræ miseratio major  
Te Gentis capiet cordis non absque dolore  
Dum, quorum linguam nescis, accurras ad illos,  
Et speras, nostri patiens pro nomine CHRISTI,  
Quod possis etiam peregrinâ vivere quadrâ.  
Et mavis fidei genuinæ castra tenere,  
Te quam Syncretismus atrox Atheismus ad orcum  
Terrent, qui verbi tentant extinguere lucem.

Este bonis animis, promissis vivite CHRISTI,  
Non erit exsilium semper, DEUS huic quoque finem  
Afferet optatum, ducet bona causa triumphum.  
Mors faciet cuivis, ne sit, cum venerit, Exul.  
Vos manet in Cœlis mercedis copia tanta,  
Quam nullo poterit quisquam comprehendere sensu.  
Vester ubi DOMINUS, cuius pro Nomine multa  
Passi, vos eritis servi gaudebitis omnes  
Gaudia quæ vestris non cordibus eximet hostis.  
Adis CHRISTE DEUS, pro te patientibus ægrum  
Exsilium, cura, duc illos Numine sancto  
Ut bene currentes cœlestia Regna capebant,

☉:):(:o:):(:☉



Ung. VI 6

ULB Halle

3

005 905 370




VD 77











B.I.G.

Farbkarte #13



*Bucsay 712*

TUA,

89

*Anemosynen*

HUNGARIA

m mundi plagas,

CHRISTI,

EVANGELII

do exulantium, &

ad LXXXVI

Christianae seculi,

tristem cum placida

ommutantium, cum

netica Paraclesi,

Opera

H. P. C. L.

PSIAE,

NIS GEORGII, 1687.

